

ad rem agere voluisse, ut vicem meam ad hanc mensam resumerem. (*Mensae assidet*).

HIPP. — Numne, duobus hisce annis per quos eum non vidi, eius cerebrum...?

FRANC. — Simillimum vero.

HIPP. — Doleret profecto cordi meo.

FRANC. — Credamus potius validi vetustique vini tui vapores, eius mentem obumbrasse. Quaeso, eyatisses.

HIPP. (*Francisculo miscens*) — Tu tamen meri vehementiam haud timere videris.

FRANC. — Quid territer? Vini vis laetitiam animosque addit mihi. Propino tibi, dominorum optimo!

(*Dum Francisculus iucunde libat, INTERNUNCIUS litteras manu gerens ad ostium appetat ac rogat*): Nonne hic habitat adulescens nomine Francisculus?

FRANC. — Ille ego. Ecquid a me?

INTERNUNCIUS. — Litteras in manum dandas.

FRANC. — Mihi?... Subadsurdum dixerim. Quanti autem solvendum?

INT. — Nihil solvendum: portatio expensast. (*Tradit Francisculo litteras, exitque*).

HIPP. — Ohe, ohe, epistolare tibi commercium!

FRANC. — Nullam ante hunc diem epistolam unquam accepi, neque comminisci valeo, cuia ista sit. Legas libenter, domine mi.

HIPP. — Feras igitur mihi conspicillum; non enim habeo apud me.

FRANC. — (Opportunum doni mei causus praeter spem intervenit!) — (*Praebet Hippolyto conspicillum, quod reconsiderat*). Experiaris vitra haec, quae prae manibus mihi cecidere.

HIPP. — Atqui haec nova sunt.... Eho, Franciscule, interdixeram te huius-cemodi rebus!... (*Sibi aptat*). Ut graphice

decent!... (*Epistolam resignat et legere satagit*). Hui! has litteras gallina scripsit!... (*Legit*). « A regiae domus execubiaro ».... Praetoriae cohortis miles ad te scribit....

FRANC. — Neminem illic post me natum cognovi. Perge, quaeso.

HIPP. (*legit*). — « Franciscule mi, si ratio de integro hero tuo rediit.... » — Si rediit mihi ratio?...

FRANC. — (Aha, aha!)

HIPP. (*uti supra*) — « Dicas ei me ad vincula abreptum fuisse; per Dei et hominum fidem efflagitare, ut quam oīissime hue veniat me in libertatem restituturus.... Vincentius ». — Vincentium a militibus comprehensum?!

FRANC. — In vincula abreptum!...

HIPP. — Eia, ut properus vadam, eumque liberum et reducem faciam!... Da mihi petasum et baculum.

FRANC. — Haud mora; eccum ipsa. (*Dat Hippolyto petasum et baculum illum, quem antea cum conspicillo se posuerat*).

HIPP. — Et baculum quoque novum, eumque magni pretii!

FRANC. — Agedum, non verbis, sed maturato opus est....

HIPP. — Te quatiam profecto cum ipso isto tuo dono....

FRANC. (*ad ostium Hippolytum urgens*). — Age, inquam; dorsum interim Vincentio illi misero fortasse prurit.

HIPP. — Eo, eo; in meo reditu ratiunculam pro meritis subduces mecum, sycophanta. (*Ad ostium quum pervenerit, recedere cogitur a VIGILI URBANO, qui ingreditar VINCENTIUM adducens inter milites duos*). Quid istud?

I. F.

(*Ad proximum numerum*):

Dr. JOSEPHUS FORNARI, sponsor.

Ex off. S. LAPI in Civitate Castelli.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2.40; march. 10; rubl. 4 1/2; sh. 10; coron. 12) *ante solvendum rectoque tramite mittendum* ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96. ☈ ☈

PACIS IN BELLO MINISTRI

CARMEN FRANCISCI XAV. REUSS ANNO MDCCCCXVI IN CERTAMINE POETICO HOEFFFTIANO MAGNA LAUDE ORNATUM.

Non ego bella canam, quae nunc immania flagrant;
non acies sequar immensas, hinc inde feroci
instinctas odio. Fletum, non verba, reposcunt
quae vastata iacent, pridem ridentia, rura
eversaeque urbes ac flammis tradita templia,
et qui sanguineis rubuerunt fluctibus amnes:
Scaldis apud Belgas, Gallorum Matrona, Fechta
(Alsatiae virus) Tergestinusque Timarus,
Danubius quoque, multigenis aqua patria regnis,
quaeque Polonorum fecundat Vistula campos,
et qui Dardanias euripus perluit oras.
Horridus hic sileat crepitus, quo bellica canna,
nitro farta, serit plumbi cum grandine mortem;
nec reboent bombi, quos aenea bucca tonantes
vasta fauce parit, dum moenia sternit et arcet.
Este procul, nebulae, quas evomit hostis in hostem
antris eruptas Erebi fetasque venenis;
este procul, naves, voltare per aera risae,
ferreus unde ruit, satur atris ignibus, imber;
vosque latere, rates, et nare sub aequore doctae
fulmineoque ictu chalybeas frangere puppes.
Talia gesta canat Mavortis saeva furentis
progenies; placuit mites mihi prodere sensus,

quos fraternus Amor, mediis illaeus in armis,
Relligioque suis inspirat sancta ministris.

Tuque prior, castris adscriptus, fare sacerdos;
die, quae pensa tibi sint credita, prorsus inermi.

Audio: Concilias animis, si forte rebelles
in caelum fuerint, veniam, veniaeque paratam
Pacem sidereum, mortalia corda beantem,
turbida cui nequeunt aequari gaudia terrae.
Nec sinis, ut redeat turbatrix Culpa quietis:
te monitore, silent quae nuper labra proterva
in fratres nomenque Dei legesque pudoris
peccarunt, sive eloquio seu voce canora;
te doctore, sonant hymni nunc undique sacri,
aut patriae qui dulce solum fastosque celebrent.

Haecque, die festo, pietas ut martia ferret,
cum tibi sub dio miles numerosior adstat!
Ut cantus et fusa volant ad sidera rotta,
hostica dum circum tormenta fremuntque tonantque!

Tum nova vis animis infunditur, orta superne;
quin et fessa novo firmantur robore membra.

Tum stat cuique viro duros perferre labores
militiae, ducibus parere nec ulla, tuendam
ad patriam, manifesta licet, pavitare periela.

Haec eadem spernit belli discrimina mystes,
qui, dum pugna furit, campos percurrere certat
corporibus stratos; ubi, si quem forte suprema
viderit halantem suspiria, voce manuque
erigit, atque viam trepido complanat ad astra,
hisque sub officiis haud raro concidit ipse.

Stat comes huic medicus, stat lecticarius; ambos
par studium, par urget amor devotus et audax.

Impavidi, loco perlustrant, ubi ferbuit ira:
ira recens, nondum sopita, norasque subinde
proiiciens flamas, ut, quae restincta videntur,
saepe recrudescunt incendia, plena minarum.

Armatos, quos exanimis reperere, decenti
immittunt tumulo, quem rustica signat et ornat
(tessera Christiadum) crux, atque insigne virorum,
quos fraternus Amor, non Mars, ad castra vocavit.
Ictos vulneribus ferentis ad tutu reportant
tecta, vel impositos humeris instante pericolo
eripiunt, vix credibili quandoque labore.

Namque gravi gerulus sub pondere paene satiscit;
ac lente dum prorexit male nota per arva,
rivos hic, illic sepes alibique profundas
offendit fossas; nebulaeque retant, vel obortae
interea tenebrae, rectum discernere callem,
hunc nisi, nare sagax, socius canis investiget.

Nec gerulis desunt medicisque pericula, quamquam
longius a pugna digressis; quippe remotis
pergunt e castris hostilibus aera tonare,
ac late circum pluit igne gravique metallo;
atro quo nimbo Samarita benignus uterque
saepius obrnitur, generosi victima coepit.

Iam tu, praecipuum fraterni limen Amoris,
aulas pande tuas, Domus Hospita, milite plenas
dire mulcato. Series quam longa cubantum!

Heu! et quot mtili! quot inertia corpora, plagis
saucia terrificis linoque obducta cruento!

His quam pallida frons! illis quam febribus ardens!
utque gemunt! ut cultrorum sub acumine strident!
ac quoties puter hisce locis innascitur aer,
pernicioса creans sanis contagia et aegris!

Tantam congeriem quis dicat vimque malorum?

Huc tamen e caelis Pietas descendit, et aedes,
Luctus ubi regnat, dominatrix occupat alma.

Imperat hic, mitis regina, libensque grabato
assidet aegrorum; — nec vultu semper eodem.

Assumit nunc ora viri, qui vulnera tergit,
laesaque linteolis obvolvat membra novatis;
nec dubitet, late si plaga arroserit artus,
artibus, e propria demptum cute, iungere segmen,
aut vacuis aegri, perfossis vulnera, venis
de proprio calidos infundere sanguine rivos.

Induit et formam matronae, cuius in armis
mascula stat proles, inimicis obvia telis;
quae reputans genitrix, peregrinum quemlibet aequa
diligit atque fovet, surs ac si natus adasset.

Os habitumque tamen Pietas sibi saepius aptat
virginis edoctae contemnere commoda saecli,
fluxas cuius opes et inania gaudia novit.

Sic, pudibunda, caput velat fluitante mitella,
inceditque stola circumvestita migrante;
parva super pectus radiat crux; annulus unum

*e digitis ornat, pia sacri foederis arrha;
ex oculis gravitas tranquilla, serena, benigna
spirat, grata Deo, incunda nepotibus Herae.
Aegrotis vigil inservit noctesque diesque,
immemor usque suū, fratrum memor usque dolentum.
Pharmaca nunc præbet; nunc arida labra salubri
humectat potū; nunc aegri taedia blando
discentit alloquio; nunc comiter huius amicis,
accepto calamo, solantia verba remittit.
Cum subit, ac levipes conclavia circuit ampla,
aethere delapsus circumvolitare videtur
spiritus, et superū puram diffundere lucem:
Angelus hinc terrae vocitata, piumque Sororis
terque sacrum Matris vulgo sibi nomen adeptus.*

*O Pietas fraterna, feris interrita pugnis,
prompta subire necem Letoque potentior ipso!
Almam prode tuam virtutem: comprime bella,
strictos et tandem gladios in aratra recende!*

PRO POLONIA

Quod bellum prope iam annos duos per Europam misere flagrat, in regionem quoque, immo maxime, ferri et ignis vastitatem contulit, ubi inter Russicum, Germanicum Austriacumque imperium constituti brevique disiecta alterna vice fines, non unius vel alterius eorumdem populorum solum attingunt, verum gentis a magno certamine prorsus alienae, quaque in singulis bellantibus facere non potest quin libertatis suae oppugnatorem agnoscat. Triste heu! illius terrae fatum: tres nationes in ipsa præliantur, atroxque earum pugna unam Polonorum gentem premit, insontem præsidique omnis expertem!...

Quod si pro inclyta alia, eaque Armeniorum, natione in his paginis. neque immerito. Almae Romæ studium bona-

que omnia profusa sunt (1), nonne, potiori iure, animi nostri sensus cum Polonis adiunctissimi, vocemque facinorum assidue vindicem expromere debemus?

Potiori, inquam, iure: Almae enim Romæ filiis, qui tantæ matris soboles esse et haberi volunt, Polonorum gens honestissima tamquam latinitatis custos, ad Orientem excubias agens, consideranda omnino est. Huiusmodi enim officium Polonia in tragicis historiae suae eventibus indesinenter gerere visa est; hanc humanitatis suae notam singularem constituisse. A Teutonibus ad occidentem cincta, a Slavoniis, ad septem triones et orientem prementibus, dispar a Tartarorum Turcarumque turmis ex meridie affluentibus perpetuo vexata. Latinitatis signum ad fines statuit, id per liberos suos validissime continenter

(1) Cfr. fasc. III.

defendit, ac modo incurvavit, quum vulnera in mortem affecta est. Quinimo ne aperto quidem latere cadens, gloriosum vexillum dereliquit, in quo tum corpus suum extenuatum involvit; ita ut in servitatem licet direptionisque omnis in tenebras coniecta, forma illa latinitatis eximia eius menti oculisque nunc etiam affulgeat, idemque amor commoveat animum. Hinc profecto, magis quam ex materiali belli horrore, repetendum est maxime apud populos politiori humanitate feliciter institutos civilis Polonicae quaestionalis pondus; hinc vox una pari consensu emissa promanat, ut Poloniae iura tandem aliquando vindicentur. Scilicet non malorum pietas invocatur, sed illud latinae et catholicae civilitatis complementum exigitur, quod ad Europæ aequilibritatem, Orientem versus constituant, omnino necessarium videtur.

*

**

Cuius quidem necessitatis ratio per Polonicam gentem explenda in ipsa eiusdem nationis origine resumenda est. Ex quo enim, saeculo post Christum x, Mieczyslaus princeps, suadente piissima eius uxore Dubrovvska, natione Bohemia, Catholica religione, cum populo suo Romanam Christi fidem est amplexatus, nationis Polonicae iter in aeternum firmabatur, in quo iam tun populi vita servata est. Illis enim temporibus Teutones, sub umbra ethnicae religionis avellendae, Slavonicarum gentium Oder fluminis oras incolentium implacabile exterminium agebant; quae igitur species in Polonos defecit, qui Teutonicis minis tandem liberi, maxima sapientia et virtute, ductu Boleslai regis, in unum corpus coaluerunt. Inde, — sive id ex catholica religione invecta sponte defluxit, sive ab arcendis nun-

quam non minacibus finitimus populis, — necessario contigit ut cum hac Roma intimiore vinculo adstringerentur Poloni, qui providentis Dei consilio quasi interpres praeconesque iussi sunt latinae ad Orientem humanitatis. Spiritualis Lithuaniae adeptio quae saeculo xiv facta est, munus hoc Poloniae gloriissimum aperte comprobavit: dum enim Teutones, Christiani licet, primigenios eosque duros mores suos rigide servare contendunt, Poloni almae Matris sensus diffundere satagunt; eoque magis valent, quod stirpe et ipsi Slavonii, beneficia latinae humanitatis apud vicinos populos graeco schismate subiunetos, aptius affirmare potuerunt. Quum autem Taratarorum Turcarumque ferocia accessit, Polonicae civitatis id munus novo fulgore circumfusum apparuit; Poloniae enim fuit, ut sui ipsius corporis scutum Europea universae præberet. Horrendi discri-minis conclusio, per saecula quinque agitati, posita omnis est in rebus a Ioanne Sobieski gestis; qui, gladius unicus in Europa coram Turcico rutilans, cum delecta heroum manu magnis itineribus ad Vindobonae moenia contendit, a fugeiente Austriae imperatore deserta brevique in ferorum hostium potestaten ventura, ibique fregit immensum Kara illius Mustapha exercitum victoria sua iam exsultantem, in praedamque ingentissimam intuentem, a concepitatis diu mediae Europæ regionibus sibi facile ac proxime oblatam. Magna eaque mirifica in historia evasit epicae illius expeditionis forma et figura; in ingrato ipso animo Leopoldi I regis erga virum, qui imperium ipsi sustentaverat, in eiusque imbelles manus incolume restituerat. Indigna quidem tanto homine Austriae Imperatoris agendi ratio merito apparuit; quainquam perniciose ma-

gis in Polonos, saeculo post, Maria illa Theresia operata est, quum Polonicae regionis partitioni assensit; quam si prohibuisset, conatum quemque tum Borosorum tum Russorum impossibilem redditisset.

* *

Pone historica Polonorum fata, religionis quoque, doctrinae liberaliumque artium fortuna cum alma Roma coniunctissime evolvitur. Apostolicae Sedis apud Polonicam civitatem legatio Cracoviam Varsaviamque viros clarissimos adducit, inter quos memorare satis fuerit Purpuratos Patres Lipemanum Thomamque Anticum. In Tridentina synodo catholicae fidei adsertor et vindex strenuissimus erigitur Polonus sacri senatus princeps Osius, cuius, in Urbe extremum spiritum efflare cupientis, ossa etiam nunc Roma, tamquam praeculari filii sui, in basilica S. Mariae trans Tiberim, *ad fontem olei*, asservat et colit. In Cracoviensem aulam Bona Sfortia, Sigismundo I regi nupta, liberalium artium renatum splendorem inducit: Philippus Bonaccorsi, et cum eo litteratorum iurisque consultorum delecta manus, in eiusdem civitatis athenaeo docent; dum Nicolaus Copernicus Patavium Bononiensemque venit ad scientiam illam huiusmodi, quae immortale eius nomen esset redditura. Neque satis. Franciscus Antoniusque Lori, Bartholomaeus Beccarius, Sanctes Gucci veterum templorum gothicam architecturam in latinam convertunt solis radiis, caelestis flaminis imagini, apertam, simulque ad serenam pietatem compositam; eorumque parietes funereis monumentis decorant, quorum lineae purissimae cum celebrissimis Bonarrotii ac Sansovini operibus certare videntur. Quid plura? Ad nostram usque aetatem Poloni in rebus

publicis gerundis latino semper eloqui ac tenaciter, dum licuit, usi sunt; hisce autem diebus, inter tantam per orbem dishonestam litterarum colluviem, nonne tum de ethnicis moribus execrandis tum de christiana doctrina liber optimus, perfectissimus omnibusque probatus, quasi monitum humanitati omni salutare, a Polono scriptore prodiit, Henrico Sienkiewicz?

Et ipse quidem ad universos Christianos populos de patria sua nunc moerentissime clamat: « Solum nostrum, — inquit, — septies maius quam heroici parvi Belgarum populi, ab armatorum multitudine obtritum atque eversum est: gladius ex eo stillavit sanguinem, Dei iudicium invocantem. Liberi nostri, in agmina trium exercituum, alias alii infensi, per vim rapti, fratricida manu dilacerari invicem coguntur. Vicos et oppida nostra, a Niemen fluminis oris ad Carpathum iuga, incendium absumpsit, perque immensas solitariasque factas planities mortis larvam vagantem unice videmus. Cessavit labor, officinae silent, agricolarum vormer rubigine est laesus. Nihil usquam frumenti; boum nihil; nullus adsiduo iam luet igne focus; dumque furunt pestiferae lues. nullum praesto est senibus, nullum mulieribus hospitium, nullum pueris strigosa brachia tendentibus, panemque matres frustra efflagitantibus: Polonae etenim matres nihil iam praebendum iis habent; nihil, praeter lacrimas!... »

* *

Hae nobilissimae item atque infelissimae Polonae gentis per vatem suum querelae, quas Alma Roma materna dilectione sua pientissime suscepit, ceterisque filiis, ubique sunt terrarum, ex animo commendat.

Faxit Deus ut ex hac, qua trahimur, immani rerum conversione Polonorum gens ad propriam civilem vitam restituatur, proprium libertatis locum inter Europae nationes recuperet, ac recipiat simul officium, quo per tot saecula tam egregie funta est, ad Orientis portas praedicandi ac tuendi Catholicae fidei amplitudinem splendidamque latinae humanitatis maiestatem.

ROMANUS.

De Guilelmo Shakspeare et de Michæle Cervantes trecentesimo exeunte anno ab eorum obitu

Annus hic qui labitur trecentesimus est, ex quo clarissimus Guilelmus Shakespeare, nobilitate rerum conspicuus atque ingenii celeritate omnibus laudabilis, gloriosissime in Anglia, apud suos, diem obiit supremum. Ipse natus Stratford apud Warwick anno millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, vix secundum et quinquagesimum annum aetatis ingressus, decessit. Quum admodum adolescens actitaret in theatro et magnos sibi plausus compararet, artis illius dulcedine ductus, ad tragœdias conscribendas animum appulit, et mirum in modum ita spectatorum voluntatem ad se devinxit, ut in posterum eum semper in oculis ferrent. Ipse summo artificio, quas umbratili vita componeret tragœdias, publica in scena, ne quid arti, quam ipse maxime sentiebat, deesset, agere omnium plausu consuevit.

Festivissimi ingenii vir atque ditissimi fuit Shakspeare, et totius patriæ tragœdiae parens a doctissimis habitus est. Est itaque iure meritoque Anglicæ Melpomenes vindex, qui veterum tra-

giorum gloriam est consecutus. Suus semper atque in omnibus esse videtur; et quum Itali, suppari aetate in Graecorum imitatione unice defixi, mordicus graeca exempla imitabantur, ipse, servitutis impatiens, ab eorum ingenio indignabundus recessit. Quod sane Anglo poëtae haud difficile fuit, qui singulari excogitandi vi atque acunine esset donatus.

In fabularum oeconomia praesertim atque in nodi solutione is maxime laudandus est; et spectatores, dialogi lepore, ac subitariis quibusdam casibus afficit, quos cogitatione nondum prospexerant. Praeterea hominum ingenia et mores graphicè depingit, omniaque venustissimis roboris modis iisdemque sublimibus adsperrgit. Multa equidem invenies, in omnibus eius tragœdiis, summe posse laudari. Siquidem brevia dicta atque aculeata, incitata diverbia, imaginum granditas atque altitudo sententiarum audientium animos percellunt et vim quandam atque admirabilitatem huiusmodi scriptori conciliant. Complura apud Anglos ex eius operibus deprompta in proverbium honoris causa abierunt. Haud desiderantur in omnium rerum tractatione tragicæ illi spiritus, quos fatales patriæ casus aut infanda Pelopidarum flagitia Graecis aliquando suppeditarent.

Tunc temporis rerum omnium summa apud Anglos obtinebat regina illa Elisabeth, quae, ob tetterimum ingenium, ipso nomine reverentiam sui atque obsequium in omnes inferebat; hanc saevam ac potentissimam mulierem velamine quodam obductam in tragœdiis suis proscindere non dubitasse visus est. Eius autem calumniam divinitus devitavit.

Multa composuit et omnia adhuc manibus legentium teruntur, quae ab Italorum historia mirum in modum deprompsit. In his maxime laudatur *Romei*

illa et *Iuliolae* fabula ac *de Caesaris morte*; at, prae ceteris e nordicis historiis decerpta, summis laudibus merito excipiuntur *Amletus* et *Otello*, quae nostris quoque temporibus summa cum arte Alexander Salvinius, vel eloquio anglo, at saepe saepius italicico, recitare consuevit, ut omnium Italorum desiderio arridere. Sed quum eius nomine gloria percrebesceret, atque universa Anglia summis eum honoribus exciperet, moerore confectus ob filii mortem, quem unice deperiret, in villulam, quam sibi in eius utilitatem omnibus commodis construxerat, se contulit, ibique florenti adhuc aetate vitam finivit.

Hlla tempestate, magna omnium bonorum poena, Angli, suasu potissimum atque imperio Reginae Elisabeth, a veritate desciverant, atque in errorum coluviem sensu sine sensu dilapsi erant. Erroribus novis late liberrime grassantibus, adsensitne noster, an maiorum suorum placitis mordicus cohaerens, Romanam fidem sanctissime est professus? Fecisset utinam! Huius enim rei lis adhuc sub iudice versatur, quia auctor se in omnibus quae ad religionem pertineant, liberam viam obtinuit, ut nemo quamnam religionem sequeretur, arguere possit.

**

Eodem die, quo Guifelmus Shakespeare vitam finivit, Michaël Cervantes Vallisoleti in Hispania, aeterna spectans et ipse quievit.

Hic *Compluti* ortus quinto Idus Octobres MDXLVII, in sinu matris puer altus atque educatus, mira animi pietate atque alacritate ingenii exultus est. Adolescentulus militiae stipendia meruit, et religionis amore perductus, acriter cum Hispanis pugnavit ad Echinadas insulas adversus Tureas, sub ductu Ioannis

Austriae, ubi Augustae Virginis Matris auxilio hostes nominis christiani devicti sunt, Pio V Pontifice Maximo barbaricam pestem deprecante. In hoc proelio aeterna memoria digno multis vulneribus adverso pectore afflictus, alteram manum hic miserrime omisit. Sed praeclarus ad Naupactum miles, vel potius vulneratus, ut postea honoris gratia cognomento vulgo a suis est adpellatus, ex hisce ipsis rerum adiunctis, novos spiritus sumens, ad hostes christiani Nominis debellandos se contulit. At in Afrorum servitutem adductus, qui tunc temporis Tyrrhenum mare infestarent, quinque annis omnia quaeque durissima passus patienter ac digna christianorum fortitudine sustulit, donec, divino veluti numine, in libertatem se se vindicavit.

Quadraginta annos natus, vacatione obtenta, ut victimum sibi honeste compararet, paupertate compulsus rei publicae operam dedit.

Hisce labentibus annis complura est opera adgressus, in quibus ingenium optima studiorum ratione enutritum ostendit. Attamen egregium eius opus, quod nomen auctoris omnibus laudibus cumulavit, quodque Michaëlem inter praeclaros scriptores non ea modo tempestate, sed omnium temporum principem posuit, adpellatur absolutissime *Don Chisciotte*.

In hoc enim opere condendo quindecim et amplius annos transegit. At mirum in modum effigiem saeculi et gentis suae exquisita eloqui elegantia inseculpsit. Hoc autem opus, quod doctorum iudicio, omnium politissimum et perfectissimum habetur, omnem illico Hispaniam divinitus pervasit, omniumque animorum ingenium excitavit. Ex templo hic liber summa voluptate ab omnibus legitur, eius auctor scriptorum facile princeps uno ore undique

salutatur. In hoc videlicet mirus ordo eluet, maxima in tradendis praceptis diligentia, picturae vividiores opportune positae, dictio laeta, naturalis, elegans, pura, venusta, fluens aequabiliter, uti scriptorem decebat, qui acuto ingenio praeditus, et multo rerum usu subactus, verissimis coloribus omnia referret.

Ipse est omnium temporum scriptor, qui usque recens omnibus lectoribus plauuit, ac, poëtico ornato laudandus, sub eius calamo vel humiliora splendorem concipere videntur.

Si vero Michaël Cervantes patriam elegantissimis operibus locupletavit, unde et patrius sermo tunc primum mira gloria circumdatus cum ceteris sapientissimis nationibus de principatu vel in litteris certare posse videretur, ipse e contrario moerorem a patria accepit, paupertatem atque miserrimam vitam.

Quae Ovidius passim in *Tristibus* de suo exilio conquestus uberrime dixit, iure meritoque hic ingemiscens iterare potuisset:

*Totque tuli casus pelago terraque, quot inter
Occultum stellae conspicuumque polum.* (1)

Quot enim infortunia passus est ob aliquot impotentium imprororum calumniam!

Namque tanta primum tamque subita laudum accessione Michaël noster ad summam honorum amplitudinem breviam per venturus videbatur, quum repente fortuna saevire, eiusque consiliis coepit obnublari.

Omnia sed animi fortitudine et christiana patientia sustinuit, suisque adversariis parem atroci temporis animum exhibens, calumniantium vexationem virtute cumulavit. Invictum enim a cupiditatibus animum praebuit, et quamvis

tot fluctibus agitaretur, nullius infortunium a se alienum putavit.

Iuvat quoque identidem ad animum levandum, in medium aliquot eius verba pulcherrima referre: « At — ait, — quod intolerandum mihi propemodum esse videtur, est quod probrosum me senem adpellent ac mutilum! Num ego naturaliter ac viribus meis, annorum iniuriam in me infrenare potuisse? Et manus mea tam insigniter mutila fuitne in sordidis popinis inter ebriorum obiurgationes foedissime vulnerata? Hanc enim iacturam, gloriosum potius vulnus dicam, in maxima illa omnium Christianorum pugna accepit, ad cuius amplitudinem ac gloriam, nunquam Hispania, tot victoriis clarissima, labentibus annis frustra adsurgere poterit ».

Dolendum sane, quod ea potissimum aetate, quum Hispani tot divitiis affluenter, hominem superbe negligenter, nec eum inter patriae benemerentes noverint; namque ad ultimam paupertatem redactus, vitam miserrime finivit. At vim morbi atque ipsas paupertatis angustias admirabili constantia ad extremum tempus ille est supergressus.

Nunc vero immortalitatem ingenii adeptus, e tot monumentis quae Hispania suo maximo scriptori gratissima posuit, quam iure ipse suis civibus dicere videtur: « Grates ago multas posteritati, quae

non fuit ingenio fama maligna meo!

Sed quod in carminibus meis descripsi, quodque perpetuo inter vivendum saepe saepius vobis inculcare consuevi, id habeatis, quemadmodum amor in vos meus expressit ».


Ne gravemini haec ipsa verba pronis auribus et vos, humanissimi lectores, accipere.

I. B. FRANCESIA.

(1) OVID., *Trist.*, lib. IV, el. X.

TIBURTINAE ACROPOLIS MONUMENTA

Oppidum Tibur, viginti circiter milia passuum ab Urbe, amoenissimo in loco positum ad pedes Ripoli montis, antiquissimum, quod nomen Tibur, etiam si non sive Tibur, sed Sibyllae fanum, invenit.



TIBURTINAE ACROPOLIS MONUMENTA.

tiquissimam repetit originem. A Siculis enim fuisse conditum Dionysius (lib. I, c. XVI) affirmat, et ad augendam rei fidem adducit, suis temporibus oppidi ipsius partem *Sicelion* etiamtum vocari. Quod nomen primigenium Tiburis fuisse videtur, quasi potentiae veterrimi illius populi centrum significans.

Tiburi fratre natu maximi urbem vocasse. Quibus ex verbis, cum Dionysii collatis, archaeologi nonnulli deduxerunt *Siciliae oppidum* nativam loci appellationem fuisse, quae deinde, post argivam illam eo deductam coloniam, cum Tibure commutata sit.

Neque desunt apud Romanos scripto-

Solinus (c. VIII), yetustissimas Italiae civitates earumque origines quum recenseat, de Tibure scribit, Tiburtum, Choram atque Catillum, Catilli filium Amphiarao natum, depulsis ex oppido Siciliae veteribus Sicanis, a nomine

res, poetas praesertim, illorum virorum memoriae. Horatius in *Od.*, lib. I, XVIII Tibur Catilli nomine definit:

*Nulla, Vare, sacra rite prius severis arborem
Circa mite solum Tiburis et moenia Catilli.*

Silius Italicus (*Punic.*, lib. IV, 224) item:

*Quosque sub Hercoleis taciturno flumine muris
Pomifera arva creant, Anicnicolaque Catilli;*

et alibi (VIII, 363):

*Hinc Tibur, Catille, tuum, sacrisque dicatum
Fortunae Praeneste ingis.*

Praeterea Horatius (*Od.*, II, VI) Tibur salutat Argeo positum colono, et Ovidius (*Amor.*, III, VI) Anienem flumen:

*Nec te praetereo, qui per cara saxa volutas
Tiburis Argei spumifer arva rigas.*

Quinimo ipse poeta (*Fast.* IV, 71) Tibur ab Argivis manibus conditum omnino recolit: *Arte scilicet ingens diligit
Et iam Telegoni iam Tiburis uidi domum
Stabant Argolicae quod posuere manus.*

Ex quibus omnibus remotissimam opidi antiquitatem tuto satis demonstratur; eam praeterea confirmant, quae illustrare monumenta hic hodie brevi aggredimur.

Ipsa nos in tiburtina acropoli, in illo scilicet Dionysii *Sicelion*, collocata facile recognoscimus. Circularis formae alterum, alterum rectangularis, vulgo Sibyllae illud, hoc Drusillae dicata fuisse dicuntur; Vestae ac Sibyllae putant alii; quae sit sententia nobis, ex iis quae dicturi sunus proferetur.

In Sibyllarum numerum et Tiburtinam adscriptam esse inter omnes constat. Eam Lactantius (*Divin. Instit.* I, VI) Albuneam nominat, additque suis

diebus veluti deam cultam ad Anionis fluminis ripas, eius in gurgite ferebatur simulacrum eius quondam inventum esse. Hoc quidem testimonio fulti qui in nostro Sibyllae fanum recognoscere volunt, ex Horatio de eretoriam hypothesis sua confirmationem demum hauriunt, qui *domus Albuneae resonantis* mentionem fecit; hoc est ad Anionis aquarum Tiburtinum notissimum delapsum. At vero ipsa ea verba Horatiana prohibent quominus huiusmodi sententiae assentiamur: Horatii enim aetate magna illae catarractae longe fluabant a templo de quo agitur, scilicet super specu erant nunc vulgo a Sireibus nuncupato, caputque quiem rigitur, in antro quodam propter aliquam illarum loci eversionem, quae pluries per temporum decursum subsequatae sunt, fortasse hodie disiecto, Horatianae *domus Albuneae resonantis* locus debet perquiri. *Et hanc annis dirutaq; stuprataq; Saeculo xv; in renato illo antiquitatis amore, opinio invaluit templum nostrum Vestae consecratum fuisse; Vestam enim — aiunt — procul dubio venerati sunt Tiburtini; imo lapides plures Tiburtinas ipsas Vestales virgines memorant. Vestae insuper templorum circularis formal erat; ager denique, in quo templum erectum est, Vestae diu nomen retinuit.*

Horum argumentorum haud dubio postremum magni ponderis est; tanti imo, ut si evellatur, reliqua secum abripiat. Atqui ipsum infirmare haud difficile appareat. Ex Tiburtinis enim mediis, quod dicitur, aevi documentis, ac praesertim ex bulla quadam Benedicti PP. VII anni CMLXXVIII, constat Tiburtinum Vestae agrum positum fuisse in adversa plane pontis S. Martini ora, per quem hodiernum Tibur cum antiqua acropoli

communicat, nunc *castro vetere*, ubi adamussim nostrum templum extollitur.

Quid igitur?...

Si Vestae cultus Tibure in honore erat, maiorem profecto *Hercules*. *Victor Tiburs* sibi vindicabat; qui praeter, magnificum templum a Iuvenale (*Sat.*, XIV, 86) cum Praenestino Fortunae comparatum, et cuius indubia vestigia eaque non pauca supersunt, alterum Tibure habuit *Saxani* sub cognomine *Herculis*. Ubi vero hoc; unde imo cognomentum? Haud a veritate longe cum Nibby aberrare crediderim, templum idem in nostro recognoscens; *Saxano*, inquam, Herculi dicatum, quia in saxo collocatum, id est in rupe abrupto imminente; et in *Sicelion* illo dicatum, nempe prius quam, aueta urbe, dignius alterum pro meritis in foro erigeretur; ibique conservatum, in veteris gloriae et virtutis memoriam, nunquam obliterandam. Neque convenit minus templi forma, quae Herculi templorum communis exstitit, quemadmodum Romana *aedes* ipsa rotunda *Herculis* monstrat.

*

Iamvero ad alterum Tiburtinae acropolis monumentum deveniamus. Lapis quem Martius, historicus Tiburtinus, retulit asserens apud templum illud fuisse inventum, conjecturam iniecit de aede agi in honorem Drusillae, Caligulae sororis, erecta a Caio Rubellio Blando, Augusti legato, tribuno plebis, praetore, consule, proconsule, pontifice, quem Tacitus meminit in *Ann.* lib. III. Sebastianus, alias Tiburtinus historicus, hunc lapidem affirmat in Urbano museo Albani asservatum; re quidem vera nunc desideratur. Quidquid de eo fuerit, atque licet prope templum quondam ipsum invenerint, ex eius contextu

facile intelligitur inter votivos lapides esse adnumerandum, atque ideo nullam necessariam relationem componi licere cum numine, cui templum esset deditum.

Num ne, una cum Piranesio, Cabral, aliisque, Sibyllae fanum in eo noscitemus? Redibunt quidem argumenta superius producta, quae hinc Sibyllae templum arcent. Si, ex adverso, a reliquiis eius, antiquitatem monumenti consideraverimus, quae ad VII Romae saeculum, atque igitur ducentos fere annos ante ephimerum Drusillae cultum nos deducunt; et locum eius, veteri nempe Tiburtinae arcis et *Saxani Herculi* fano proximum, hoc est templo Tiburtino praecipuo numini sacro, non immerito profecto reputabimus in honorem herois oppidi conditoris fuisse erectum, Tiburti nempe, sive Tiburni, prouti Horatius, Statius, Suetonius in Horatii vita eum appellant; qui testes sunt in Tiburtina arce templum cum luce illum habuisse.

**

Haec habui quae de Tiburtinae acropolis monumentis dicerem; ne longior sim, ea singulari oratione ulterius describere praetereo, eorum repraesentationem photographica imagine expresam substituens.

**

DE AESTHETICA⁽¹⁾

II.

Ex iis quae alias de aesthetica disputavi, satis compertum haberi posse existimo, ipsam non modo inter bonarum

(1) Cfr. sup. fasc. IV.

artium disciplinas, esse recensendam, sed et philosophiae partem constituere. Quamquam, ut talis recentius haberi coepit; si enim iam antiquitus in ultimas pulchri rationes inquisitum fuit, doctrina tamen aestheticae, sive in ipsis artis operibus, sive in poeticae, rhetoricae, musices.... tractactionibus veluti membratim delitescens, sero in unum redacta est, propriaeque et singularis disciplinae dignitatem acquisivit.

Testis est historia, quam breviter hodie persequemur.

Apud omnes populos aliquantum excultos viguere equidem semper pulchri notiones, artesque, quas humaniores appellant, monumenta sua reliquere; at vero Graeci tantum de pulchro et artibus philosophari instituerunt; exinde etiam Latini. (1)

Post Christum natum Patres et Doctores plura circa pulchrum explorarunt; praesertim vero De Pulchritudine Divina locuti sunt. (2) Sanctus Augustinus de pulchro et de liberalibus artibus exquisite egit: de musica tamen ac de grammatica libros protulit. Singularem quidem « de Pulchro et Apto » tractationem conscripserat, prouti ipse testatur: ea vero perdeperita est; itaque hic illic ex eius operibus suprema aestheticae principia colligi oportet. (3)

Sanctus Thomas, philosophorum prin-

(1) Ad aestheticam antiquitatis quod attinet, confer prea aliis Ed. MULLER, *Geschichte der Theorie der Kunst bei den Alten*.

(2) Cfr. HENR. KRUG, *De Pulchritudine Divina*, quo in opere *Monumenta Patrum ad rem collecta sunt*.

(3) *Confess.*, lib. IV, 13: « Et scripsi libros de Pulchro et Apto, puto duos aut tres. Tu sis, Deus; nam excidit mihi. Non enim habemus eos, sed aberraverunt a nobis, nescio quomodo ».

eps, in suis libris, ac praesertim in commentario illo in S. Dionysii libr. *De Divinis Nominibus*, quem vir clarissimus Uccelli detexit an. 1869 apud bibliothecam hanc nostram « Nationalem » Neapolitanam; penitus quidem, at passim de pulchro et artibus disputat. (4)

« Renatae culturae », quae dicitur, aetate (saec. XV-XVI, multitudi profecto criticorum floruit, qui partim Poëtie Aristotelis faventes, partim Neoplatonicae scholae assediae, in enodandis artis praeceps plurimum laborauit; sed tamen in scientia aesthetica parum profecerunt.

Saeculo tandem XVIII Alexander Baumgarten (1714-1762), quem alias commemoravi, ardentissimum aestheticae studium excitavit. Hinc factum est ut apud cultas civitates ad nostra usque tempora quamplurima de pulchro et artibus opera prodierint; nihil minus, ut opinor, aesthetica disciplina, licet iam formata, virum nondum invenit qui intimius eins scrutaretur doctrinam, quaeque superessent tenebras clariori luce disrumperet.

Facile inde colligi licet, duas in historia litteraria aestheticae aetas sive periodos convenienter adsignari posse; alteram primigeniam (*rudimentariam vulgo appellant*), quae ab antiquis temporibus usque ad saeculum XVIII extenditur; alteram « formationis », quae inde ad nostros dies porrigitur. Ad « perfectionis » gradum pulchri doctrinam brevi allatum iri speramus.

(4) Exstat et aliud commentarium in lib. S. Dionysii, insertum (merito?) operibus s. Thomae, Romae editis sub auspiciis Pii V, P. M. — Commentarium invenitur etiam in posterioribus editionibus omnium operum S. Thomae pluries ornatis et castigatis.

Causa igitur digna est cur ad eam acquirendam, suavitatis rectique fontem, sincero amore ac diligentí studio accédat invenies. Caveant vero ne inconsulte ad multorum libellorum lectionem discurrant; unum, contra, eumque optimum librum sibi deligant, quem praeceptorem habeant ac diu meditentur. Deinde ad eximiarum rerum contemplationem sese vertant et maximopere incubant, quae efficax est ingenii palaestra ac nobilissima iudicii, seu aesthetici gustus, educatrix et altrix.

Neapoli.

G. LEPORE.

COMMUNIA VITAE

De microbiis.

Audistine, candide lector, dicere aliquando de microbiis? Haec vox græco fonte desumpta, parvula illa animantia significat, quæ ex medicorum recentiorum sententia, hominum corpora undequaque cingunt, eaque plurimis vexant rationibus, torquent, opprimunt, in eiusque damnum perpetuo adgreduntur. Ipsa sunt homini adversaria; quibus pressus ac quodammodo septus, eosdem respirat, edit, et sine numero, vel ex limpidissimis aquis, millena haurit. Olim nos bonum Senecam secuti dicere solebamus: Visne tot mortis genera cognoscere? Numera fercula. Toto caelo tamen errabat vates antiquus: erat enim e contrario dicendum: Visne cognoscere quot sint morbi quibus homines laborant? *Numera microbia!* Ipsa enim modo nobis morbos inferunt nobisque mortem adsidue atque insidiosius, eo quod occulte, minitantur. Omnes morbi

ex uno microbiorum contactu vulgo propagantur, quæ totam corporum mollem infesto veluti veneno inficiunt; ac propterea in ea est bellum nobis indicendum atrox, neque ullam eis pacem concedendam.

Ex eorum autem doctrina, microbia sunt quæ perniciosa illam ac prope incurabilem infirmitatem generant, quam a tuberculis recentiores passim appellant, (antiqui vulgo *phthisim* vocabant); hanc per aërem saepius illa gerunt, in aqua tu reperies; atque ex animalium illorum lacte proficieatur, quæ eodem hoc morbo molestantur; in tenui pulvere feruntur, qui per cælum volitat, et omni loco commodius multisque conditionibus omne evertunt obstaculum, ubique gentium veluti in regno suo dominantur atque imperiose triumphant.

Sed quis primus hanc protulit inter homines de microbiorum existentia inestimabilem doctrinam, quæ universam medicorum antiquorum experientiam, divina veluti virga, pervertit? Apud nos fuit Guidus Baccelli, quem paulo ante Italia demortuum luxit honoribusque ad posteros prorogare studuit.

Sed, aliquo sensu ad rem faciunt quæ Vergilius seripsit:

*Facilis descensus Averni!
Sed revocare gradum, superasque evadere ad auras
Hoc opus, hic labor est.*

Si enim res admodum facilis visa est immanium morborum causas cognoscere, remedium aptum invenire, quo haec microbia interficiat, frustra quisque hactenus sudavit et alsit. Hominum scientia, post longos superatos labores, usque ad microbiorum inventum sudando pervenit, sed quomodo ea vincere posset, quomodo a corporibus averruncare, inaniter luctata est, atque inferior semper discessit. Illuc propterea nunc omnium docto-

rum studium, veluti agmine facto, spectat, illuc totis nervis medici contendunt, quo seilicet potissimum modo infandum hunc mortalium hostem omnino avertant debellentque... Quod quidem felix, faustum, fortunatumque eveniat, faxit Deus.

Hic vero atque illic si laetam de morbis victoriam retulerunt, longe aliud iter est adhuc perficiendum antequam ve- niant ad triumphum.

Sie de hominum microbiis; sed est suum quoque microbium bobus, idemque in primis cruentum. Quam facile inter boves serpit ac suam maleficam vim cum aliis communicat! Quam vere rectumque petendum: Deus, talem avertito pestem! Sufficit enim ut bos forte per viam transeat, qua paulo ante transierit qui hoc morbo laboraret, et omnis grex infecta graviterque ingemiscet. Et cum « prima iudeo sublapsa veneno », pastor, paucis post diebus, omnibus posthabitis viribus, boves miserrime procumbere videbit, atque percussas infestissima peste luctuque incredibili mori.

Sed quod remedium? Quod?... Hactenus scientia infortunio fuit impar. Quam nobrem acerrimum tamdiu indictum est bellum inter homines et hoc infensissimum microbiorum genus, quod tot fúnera confert stabulis damnumque agricultolis.

* * *

Dum tamen medici, coniunctis viribus, de occulto hoste illuc contendunt, ut integrum victoriam referre possint, ad quadam bona dicenda gradum admoveamus oportet. Namque si membra morbis ulcerosa viscerumque putredines tot mala mortalibus ingeminant, haud nobis desperandum est; quinimo in mentem revocare debemus ex ipsa sepe rerum

corruptione, aliquod extare commodum posse. Homo enim, ut Horatius optimis scripsit: « nota fatali portenta labore subegit ». Et quod hodie tibi molestiam gignit, opportunum tibi subsidium in erastinum proferet.

Etenim quid fertile reddit campum, quid facit ut hic « radiant in hortis flores ac prati viva voluptas »? Sunt equidem microbia. Namque ex quadam rerum corruptione, nova microbiorum generatio exoritur, qui natura sua in humum inferunt vitæ germen aptissimum plantis, satis laboribusque bonum. Sie nova nobis proponitur atque sagax agricolis ea scientia, que patribus nostris penitus incognita, haud seros nec poenitendos fructus promittit. Sed omnia quæ de agricultura recentiora præcepta proferuntur, quæque tot beneficia ingeminabunt, microbiis unice nituntur. A quibusdam enim rebus, quæ paulo ante negligerentur, immensum bonum productum iri prædicant. Ab ipso immundo fimo novum beneficium redundaturum sperant, modo si utiliori quadam ratione atque studio eum adipisci noveris.

Ac propterea si Vergilius suos sic agricultoras olim contentus monebat: « Ne saturare fimo pingui pudeat sola », nostri novæ agriculturæ magistri altiora respicientes, imo subtiliora inquirentes, in ipsum finum procurandum summo opere animum convertunt, ac, veluti in copiosam multarum rerum originem, sua disciplinae discipulos etiam atque etiam hortantur.

Ab hoc enim studio quot fructus itemque meliores sequuntur!

Multa sunt in dies inventa, quæ vel ad artes promovendas respiciunt, quæque ab ipso uno microbiorum fonte derivant. En cerevisia spumans atque mordax, en butyrum; en ipsa glycerina; en

sexcenta denique, quae, adhuc occulta, ut detegantur hominem sapientiorem exspectant. Et Deo adiuvante, sensim sine sensu, homo rerum novarum cupiditate abruptus, ut meliuscule sibi in terris vivat et complura in suum commodum a divino veluti sinu aliquando correpta feliciter convertat. Quot enim bona in medicinam, quot in artes, quot et in agriculturam, ex illorum potissimum studio qui, modestia sua, parvula videntia dicuntur ac perfectissimo artificio composita, sed omnia invadunt, omnia permiscent, omniaque divino, prope dixerim, fatorum arcano movebunt!

Homines enim, omnium rerum terrenarum rectores ac dominatores, optima quaque ex microbiis studiose eripent; et mox dies exoptandus resurget, quo illis que damno in praesentiarum nobis sunt ac nocturno peremptis, omnia in adiutorium utilitatemque convertant.

SUBALPINUS.

ANNALES

Europaeum bellum.

Quum superiorem menstruam eventuum recensionem scripsimus, facile prospecie posse reputabamus, Germanos a Viroduni oppugnatione esse brevi recessuros suamque vim alio illaturos, ut victoriam illam quam ex hostibus tantopere reportare concupiserent, demum adipiscerentur. Res vero contrarie cessit: Germani enim, redintegrato exercitu, ad furentes impetus suos revertentes inga occupaverant Crozzon de Fargorida, Marmolada, ad tria millia passuum mare superans, Cukla, Rombon;

sunt; quinimo in ipsa Gallia Cumieres oppidum perdiderunt, locaque alia passim in Cathelaunis campis, quamquam a se valde munita.

Huius offensionis non dissimilem rationem Itali ab Idibus Maiis Austriae opera passi sunt, qui ingenti tum hominum tum bellicorum tormentorum multitudine congesta, per Tridentinam provinciam a Lagarina sive Athesina valle ad Medoacum flumen infesta arma tentarunt. Consilium profecto erat regionibus potiundi Asiagi atque Arserii in dorso montium porrectis, indeque in Venetam planitiem descendendi per commoda itinera, quibus stant adversae arcis munitiones, ad antiquos Italiae fines iamdiu, hoc est quum pacis foedera cum Italiam intercederent, ab Austriacis eretiae. Contra huiusmodi apparatum, quum Itali in nonnullis locis sibi recens acquisitis, nondum vero satis corroboratis, diutius resistere se non posse facile intellexissent, ad inutile suorum excidium cavendum atque simul impedendum ne circumdati a reliquo exercitu interciperentur, agmina sua hinc inde retraxerunt, graduque stabili atque firme animo impetum hostium excepere, eumque strenue hebetarunt. Iam sexdecim dies sic inter Austriacos atque Italos pugnatur; resque, dum scribimus, in eo est, ut si illi ex magna et improvisa incurсione in Altı-Astici Italiam terram brevi tractu quasi cuneus permanarunt, haud tamen videantur expedite procedere ulterius posse, hostibus tum frontem tum alas prementibus, quae a fronte ipsa non parvo spatio etiam nunc distant. — Ante pugnam in hos agros ultro sibi illatam, Itali in belli ratione sua insistentes iuga occupaverant Crozzon de Fargorida, Marmolada, ad tria millia passuum mare superans, Cukla, Rombon;

hostiumque incursus repulerant in Tonalis, Adamelli atque Tofanae Alpibus. At viderant simul Barensem, iterumque Venetiarum civitates, quamquam, fausto auspicio, sine ingenti damno, ab incendiariis aerōnavium solidibus inhumane petitas.

Russi iter suum in Asia pergentes, Bagdad versus signa contulerunt. Acer- rime quidem decertarunt ut liberam sibi viam per Mesopotamiam aperirent; Revandous oppidum occuparunt; Turcasque consecrati, qui Mossul viae sese commiserant, copias suas cum Anglorum ad Tigrim flumen coniunxerunt.

Qui quidem Angli, domi, Hiberniae rebus sine multo negotio compositis, ac tranquillitate restituta contra Neo-Fenaniorum turbulentae factionis conatus, delectum militum ex omnibus civibus, per legem iussum, perficiunt.

* *

Litteris a Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis Praeside ad Germanorum Caesarem missis de subaquearum lintrium insectationibus coercendis, ita satis factum est, ut videatur res, nunc saltem, abunde composita. Quem ad obtinendum effectum accessit Summi Pontificis intercessio, qui in benefica humano generi opera sua pro viribus perseverans, et ipse, suo Marte, apud Germaniae Imperatorem institit, ut ab ea belli saeva forma, per quam nationes ipsae in immani hac conflicitatione medias sese gerentes noxas inique paterentur, tandem aliquando recederetur.

* *

Dum in Mexico res immutatae permanent, Civitatum Foederatarum nor- dicæ Americae classi **apud Dominicanam civitatem** interveniendum fuit, ut

exterios incolas tueretur a seditione inibi exorta; quae tamen nunciatur, post novum Praesidem electum, intermissa omnino fuisse.

Kal. Iunii MCMXVI.

POPPLICOLA

VACUI TEMPORIS HORA

Turbida hac, per quam vivimus, tempestate, facere non possumus quin, inviti licet, in belli argumentum quaqua- versus trahamur; et animus sese ali- quando reficiendi cupidus, tum etiam in ipsum incidat. Patet inde facile, quam legitime intervenerit socii eiusdem de- siderium, qui me rogavit ut in hac ru- brica mea aliquid de bellicorum tormentorum proiecto illo scriberem, tot inven- num vitas in hoc rerum discrimine mi- serrime demetente, cui **shrapnel** nomen inditum est.

Quod quidem nomen — in primis no- tare iuvat — nihil aliud est quam teter- rimi pyroboli inventoris cognomentum, ita ut fatuus inveniretur, qui aliunde eius vocabuli etymon atque significatio- nem inquireret.

Henricus Shrapnel autem natus est die IIII mens. Iunii MDCLXI in oppido Midnay - Manor - House, Angliae, re- gionis Wiltshire. Militiam amplexatus, primum stipendum meruit annorum de- cem et octo in Americana Terra-nova tamquam regiae tormentariae cohortis legatus. Anno MDCLXXXIV in Angliam quum redisset, ballistae disciplinae experientia agere suis ipsius impensis coepit, ex qua tanta gloria ei deferenda erat.

Tum enim bellicorum tormentorum proiecta erant cava, ad globi formam, explodentibus substantiis repleta, quae incensae, per fragmenta scindebantur; Shrapnelus ad glandis prope formam proiectum efformavit: in cylindrata eius parte plumbeos globulos cum sulphure fuso glomeravit, reliquum spatium explodenti pulveri certis legibus relinquens. Shrapnelanus ita pyrobolus non aeneum tantum involuerum assulose iaculatur, sed totidem qui inclusi sunt mortiferos globos longe lateque executit. Angli primi terrifico instrumento usi sunt iam in Neapoleonico bello, illudque ab auctore nuncuparunt, quemadmodum et hodie omnes appellant, licet, ad magis magisque augendam letalem eius vim, immutationes ipsum obtinuerit.

* *

Post shrapnelanas glandes, et alias, neque minus exitialis proeliandi rationis, recentissime immaniter inductae, sermo apud nos hodie sit: **de suffocantibus gasiis** dico, hoc est de bromi chlorique vaporibus in hostes injectis, quorum saevos effectus Dusarria et Leclerq doctores perscrutarunt atque patetfecerunt.

Scilicet milites, quos gasia illa occupaverint, hepaticas renalesque laesiones patiuntur, quibuscum saepe saepius phaenomena bronchio pulmonaria sociantur. Haec plerumque totius respiratorii apparatus inflammationem indicant, vel ad delicatissimos bronchiorum ramos effusam. Nonnunquam in aegris haemoglubinuria atque etiam vehemens eaque persistens albuminuria apparuit. Excretiorum examen praecocem in aëreis viis invasionem ostendit microbiorum, innocuorum interdum, sed haud raro gravium malorum fomitis.

Contra suffocantia gasia antichloriciana xylinum adhibendum est; cuius prælaudati doctores hanc formulam suggerunt: In aquae gramm. 800 solve sodici hyposulphiti chg. unum; sodici carbonati in crystalla contracti gramm. 200, et glycerinae gramm. 150. In commistionem hanc hydrophilum xylinum immergitur, eius pars, opportuno tempore, in nares introducitur, curando ut per eas tantum aspiratio fiat. Aër corruptum, quod xylinum transgredi cogitur, chloro bromoque sese exuet, scilicet pernicie sua.

* *

Sed paulo maiora canamus.

Canamus, revera; agitur enim **de organo pneumatico**, cuius ingeniosam descriptionem in quodam variarum orationum liberculo offendi, dignamque putavi quam sub vestrorum oculis ponebam.

Aenearum fistularum seriem — ita orator ille, Nigrinus cognomine — retarum continet ad instrumentum; quae numero impares ac longitudine ita sunt dispositae, ut per tubos item aeneos aut ligneos inflentur spiritu, qui, folibus ingentibus collectus valentissimi operarii brachiis, ad fistulas transmittitur. Tum ictibus digitorum manus utraque magistri scientissimi prudenter hue atque illuc errans, flatum immoderate profusum, opercula foraminum vel abducens vel inducens, ut fere fit in tibiis, ex arte moderatur: quo fit, ut quod per se incondite maxime resonaret, et prope mugiret, iucundum auribus cantum, acutis, gravibus, mediis sonis musicæ temperatum reddat, quo tempora tota festis diebus alacritate quadam et suavitate complentur...

* *

Iocosa.

Argentariae cuiusdam mensae socii de quodam collega disputantur:

— Fur ille est!

— Non satis id mihi habeo persuasum.

— Atqui ego comprehendi eius manum in sacco.

— Ergo ipse et tu in illum inieceras.

Vini plenus viatori cuidam:

— Quo pergendum mihi est, quaeso, ut adversum huius viae latus assequar?

— Eia! Per mediam viam transeas.

— Feci, aedepol! atque idem mihi responderunt.

* *

Aenigmata

I.

(Vulgo Rebus)

FE veni **LI**
ci

II.

Stringor ut a vobis, extensa et membra

Mox aciem filo, pollicis arte datis,
Quo me caecatis, fuerim Polyphemus ut

Ut ducar vobis quo placet ire simul.
Dum, manibus sic ducta, regor per multa

Pulsibus acta manus, cogor inire vias.

Vos aliud sinitis mea post vestigia duci,
Quod clausit frontis lumen in ore meo.
Sit clivus vel planities qua vado pererrans,

Asper sit callis, sit via dura mihi,
Aut adsit lenis, vel semita mollis eunti,

Erigite e tela quod mea planta notat.
Quod mecum movit, longum per compita

[corpus

Deficit, et fixum post mea terga iacet.
Et tamen aequali passu per compita serpit;

Proculeat semper, me comitate, vias.

(Aenigmata in superiore fasciculo propo-
sita his respondent: 1] *Viola*; 2] *M-ens*).
IOSFOR.



Libri dono accepti

FELICE RAMORINO. *Grammatica della Lingua Latina ad uso delle Scuole Italiane*. Seconda edizione. — Neapoli, ex Societate anonyma editrice F. Perrella. — Ven. lib. 2,50.

Dott. G. B. BELLISSIMA. *Aulo Gellio compendiatore di Tito Livio?* — Senis, ex off. S. Bernardini, 1916.

Id. *Le monete consolari esistenti nel museo dei Fisiocritici*. Parte I: Prospetti. — Indidem.

The Redwood, Engineering Number, April 1916. — Edid. Collegium S. J. Sanctae Clarae in California.

Avv. ENRICO BAFILE. *La formula della pace*. — Romae edid. Desclée et Soc., 1916. — (Ven. lib. o, 75).

ROMA SACRA

Ex Congregatione Consistoriali.

Circa quasdam choreas in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis et in regione Canadensi.

Elapsa saeculo, in Foederatis Americae Septentrionalis Statibus usus incooperat ca-

tholicas familias convocandi ad chores, quae per multas noctis horas cum conviviis aliisque solatiis pertrahi consueverant. Cuius rei ea dabatur ratio et causa, quo scilicet catholicci se mutuo cognoscerent et amoris caritatisque vinculis intimius unirentur, si mulque ut subsidia pro hoc illove pio opere

necessaria compararentur. Qui autem conventus indicere eis que praesidere solebant, praesides plerumque erant alieuius pii operis, et non raro ipsi ecclesiarum rectores vel parochi. Verum Ordinarii locorum, quamvis de recto fine eorum qui has choreas promovebant non dubitarent, nihilominus damna et pericula insolitae praxis perspicientes, sui officii esse censuerunt eas prescribere; et ideo in can. 290 plenarii Concilii III Baltimorensis haec statuerunt: « Mandamus quoque ut sacerdotes illum abusum, quo convivia parantur cum choreis (*balls*) ad opera pia promovenda, omnino tollendum carent ». Ast, ut in humanis saepe accidit, quae iustissime sapienterque ab initio iussa fuerunt, paullatim in oblivionem venire coeperunt, et chorearum usus denuo invalescere, imo et in proximam Canadensis dominii regionem diffundi. Itaque S. C. Consistorialis, statuta concilii praefati revocans, decrevit sacerdotes quoslibet sive saeculares sive regulares aliasque clericos prorsus prohiberi, quominus memoratas choreas promoveant et foveant, etiam in piorum operum levamen et subsidium, vel ad alium quemlibet pium finem; et insuper clericos omnes vetari, quominus hisce choreis intersint, si forte a laicis viris promoveantur.

(Ex decr. d. XXXI mens. Martii MCMXVI).

Circa clericalis vestis usum in regione Canadensi.

1. — Usus in dioecesi vigens circa clericales vestes, mutari sine causa non debet: iusta tamen libertas singulis Ordinariis est usum illum mutandi, requisito capituli vel consultorum dioecesanorum voto, si nova tempora et adiuncta hoc suadeant, Deo et Apostolicae Sedi dumtaxat rationem reddituris.

2. — Clericus a propria dioecesi in aliam migrans potest ibi vestem dioecesis sua retenere, quamvis diversam ab ea quae in loco est praescripta, dummodo sit una ex duabus a Patribus plenarii Concilii Quebecensis probata, (altera nempe talaris, quae propriis clericis est et communis lege in sacris functionibus unice adhiberi iussa; altera brevior, quae, si nigri coloris sit, ad genua

usque protendatur et cum collari Romano iuncta, quae pro civili usu admissa est et qua clericis propria illis in locis passim agnoscitur); idque usquedum domicilium vel quasi domicilium ibidem non ineat.

3. — Sicut in ieunii et abstinentiae lege aliquis similibus, fas est peregrinis loci usum sequi. Ita pariter salva est cuilibet clero potestas se conformandi usibus loci ad quem transmigrat, quin ab Ordinario suo hac una de causa reprehendi vel puniri valeat.

(Ex decr. d. XXXI mens. Martii MCMXVI).

Ex Congregatione de disciplina Sacramentorum.

De Irregularitate, belli causa.

A. S. C. de disciplina Sacramentorum quaesitum est, quomodo locorum Ordinarii se gerere debeant: 1) si qui clerici, sacris vel presbyteratus, vel diaconatus, vel subdiaconatus Ordinibus initiati, praesenti bello, contracta ex defectu corporis irregularitate ad susceptos exercendos Ordines, vel etiam ad superiores accipiendos dispensentur, postulent; 2) si qui maioribus Ordinibus nondum initiati praesenti bellō pariter contracta ex defectu corporis irregularitate, excedant, et ut ab hac irregularitate ad sacros recipiendos Ordines dispensentur, postulent. Responsum est: Ad 1, « recurratur in singulis casibus »; ad 2, « non expedire ut promoveantur ».

(Ex decr. d. IIII mens. Aprilis MCMXVI).

Ex Congregatione S. Officii.

Circa imagines exhibentes B. V. Mariam vestibus sacerdotalibus indutam.

Quum recentioribus praesertim temporibus pingi atque diffundi coepissent imagines B. V. Mariam exhibentes indutam vestibus sacerdotalibus, per decretum S. huius Congregationis publici iuris factum d. VIII mens. Aprilis MCMXVI edictum est huiusmodi imagines esse reprobandas.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, sponsor.

Ex off. S. LAPI in Civitate Castelli,

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2.40; march. 10; rubl. 4 1/2; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96. ⚡ ⚡

De "internationalismo", Christiano

Solemnissimum dogma est, tum fidei etiam scientiae, omnes homines ab eadem stirpe originem ducere. Ex qua doctrina sponte fluit, omnes homines quoad naturam esse et similes et aequales, etsi propter rerum varia adiuncta, possint esse accidentaliter inaequales et inter se dissimiles. Unde intulit Scriptura omnes homines « fratres » esse. Illi, e contrario, qui ceteris dominari intendunt, volunt homines ex stirpe seu origine varia natos; atque huic fictioni fictionem addentes, seipso autumant nobiliori meliorique origine donatos, meliorem naturam sortitos, sibi que competere ius ut ceteris imperent, ceteros eliminent, etiam, ut aiunt, ad promovendum humanitatis bonum; dum, suppressis imperfectioribus, non nisi perfectiores superstites erunt. Hinc pronum est ipsis, inferre violentias et facinora esse forsitan aliquid mali inferioribus; idem vero esse in melioris humanitatis emolummentum. Quid insanius, quid peruersius fingi possit, non adparet, hisce imprimis temporibus, quum easdem videamus oculis nostris ad proxim deduci doctrinas.

Ex naturae identitate sequitur, homines ad eamdem felicitatem in hoc etiam

ubi vivimus orbe ex iure tendere: siquidem eadem natura eosdem prae se fert appetitus ad idem bonum. Id igitur boni quod nobis optamus, aliis optare concurrat.

Denique iste legibus et mediis ad finem praedictum pertingere debemus, nullusque homo supra leges illas est, nullus infra. Decalogus itaque, quum totus ad legem naturalem pertineat, immo sit ipsamet lex naturae, omnibus imponitur indispensabiliter. Nulli licet neque Deum verbis et blasphemis offendere, neque ipsius nomen ad scelerata invocare; nulli proximum in sua persona, in suis bonis per se licet laedere. Id vetatur et Decalogo et iure naturae. Quod ita intelligendum est non solum de singulis erga singulos homines, sed etiam de hominum coetibus, seu nationibus, erga nationes alias.

Quod bonum igitur singuli populi sibi appetunt, idem et aliis appeti debet.

Hinc infame quidquam est inter populos ipsos egoismus.

Hinc infame principium illud: Vis iuri praecellit.

Hinc graviter errant et peccant, qui populis persuadere conantur seipso quid iuris babere quod ceteris non competit.

Hinc graviter errant et peccant qui falsis doctrinis fovent superbiam, indeque violentias malesuadas.